1) Mart. Boehmii commentarius de interregnis in regno Poloniae -- Thorunii (Annus praefationis 1733.

2) Singularia quaedam polonica a Nicolao de Chwalkowo Chwalkowski -- per alteram editionem auctius exhibita. Varsaviae in colleg. Schol. Piar. 696.

SINGULARIA QUÆDAM POLONICA

à

Nicolao de Chwałkowo Chwałkowſki, Celſiſſimi in Livoniâ Curlandiæ & Semigalliæ Ducis ad Aulam Regiam Polonam Ablegato, Capitaneo Schrundenſi.

Per alteram Editionem

auctiùs exhibita.

VARSAVIÆ,

In Collegio Schol. Piar. Typis S. R. M.
Anno MDCXCVI.
1696.

AD EMINENTISSIMVM PRINCIPEM ac DOMINVM D. HENRICUM DIACONVM CARDINALEM d'ARQVIEN ORDINIS S. SPIRITVS COMMENDATOREM.

Eminentissime PRINCEPS, Domine Benignissime.

ERubesceret atramentum, timeret audax calamus calamitatem, nisi sciret EMINENTIAM VESTRAM etiam humilia respicere. Redeunt

unt in lucem SINGVLARIA *Poloniæ, accedunt ad* EMINENTIAM VESTRAM, *in quâ, & per quam tot* SINGVLARIA *eminent. Annon* SINGVLARE, *quòd Polonia Illum videat colatq;* VIRVM, *quem olim* HENRICVS IV. *Rex Galliarum in baptismate suo decoravit nomine? Annon* SINGVLARE, *quòd Polonia Illius gaudeat aspectu, qui* PATRIS PATRIÆ IOANNIS TERTII PATER, *qui* MAGNÆ REGINÆ, MARIÆ CASIMIRÆ GENITOR, *qui tot insignium* NEPOTVM AVVS, PRONEPTISq; PROAVVS *est?*

An

Annon SINGVLARE, *quòd* PIGNATELLI, *qui sub Sceptro Ioannis Casimiri, ut Nuntius, Majestates Suas in pignus amoris copulavit, nunc ut Summus Pontifex* INNOCENTIVS XII. *tam felicem Patrem inter Patres Purpuratos cum applausu Vrbis & Orbis numeraverit? Sed omnia* EMINENTIÆ VESTRÆ *recensere* SINGVLARIA, Singularis, *non exigui, uti meum est, foret ingenij. Tantummodò inter gratulantium vota adjungo, ut* EMINENTIA VESTRA MALLEIS *suis, nil nisi fortunam plus ultra cudat, atq; bono o-*

mi-

mine ex Insignibus suis longævi annos CERVI superet. Cæterùm has annecto preces devotissimas, dignetur EMINENTIA VESTRA SINGULARI, uti hactenus, licet penitùs immeritâ, complecti gratiâ illum, qui in tesseram memoris gratæq; mentis hunc libellum dicat, seq; semper dicit

EMINENTIÆ VESTRÆ

Singulari cum observantiâ
humillimum Servum

NICOLAUM de Chwałkowo
CHWAŁKOWSKI.

Polonia sub BOLESLAO I. cæpit esse Regnum, sub ejusdẽ nominis Rege BOLESLAO II. desijt, usq; ad Premislum.

Quantum de ætatibus Ducum ac Regum Poloniæ constat, nullus, nisi Miecislaus senex anno climacterico scilicet, sexagesimo tertio, mortuus est.

Inter singularissima poni meretur, quòd Reges Poloniæ in loco, ubi Reges esse oriuntur,

tur, non moriuntur: Computando enim a IAGELLONE usq; ad MICHAELEM nullus, nisi SIGISMVNDVS III. ibi mundo valedixit, ubi Respublica eum Regem dixit, scilicet Varsaviæ. IAGELLO electus Cracoviæ, mortuus in Russiâ in Castello Grodek. VLADISLAVS IAGELLONIDES Bresciæ in Cuiavia electus, perijt ad Varnam. CASIMIRVS IV. Bresciæ Rex declaratus, mortuus Grodnæ. IOANNES ALBERTVS electus Petricoviæ, mortu9 Thorunij. ALEXANDER electus Petricoviæ, mortuus Vilnæ.

SI-

SIGISMVNDVS electus Petricoviæ, mortuus Cracoviæ. SIGISMVNDVS Augustus adhuc puer Vilnæ anno 1529. renunciatus Magnus Dux Litvaniæ, & anno 1530. Cracoviæ Rex salutatus, mortuus Knisini. HENRICVS Valesius electus Varsaviæ, & ut Rex Galliæ in castris ad Clodovæum percussus à Sicario animã exhalauit. STEPHANVS electus Varsaviæ & mortuus Grodnæ. VLADISLAVS IV. electus Varsaviæ & decessit Merecij. IOANNES CASIMIRVS electus Varsaviæ, & mortuus Niuernæ in Galliâ.

 MI-

MICHAEL electus Varsaviæ, mortuus Leopoli.

Singulari admiratione dignum est, quòd de Regibus Poloniæ ab HENRICO Valesio extet vaticinium successivè hactenus impletum.

Flos de valle, quo indigitabatur prædictus Henricus *Valesius* florem lilium in armis gerens.

Corona, STEPHANVS, nã hæc vox apud Græcos Coronam significat.

Exul fortunatus, SIGISMVNDVS III. paternò enim ac hæreditario Sueciæ Regno cum exutus fuerit, *fortunatus*, quod alibi, scilicet in Polonia Regnum tenuit amplissimum.

Gloria succedens VLADISLAVS, nam sławá, *gloriam* idiomate polonico, exprimit.

Manipulus sterilis IOANNES CASIMIRVS, qui in insignibus gessit *manipulum* & *sterilis* decessit.

Noctis breue sydus, MICHAEL Rex, quippe lunam,

quæ eſt *noctis sydus* in armis geſſit, & *breui* tempore orbi Polono luxit, nam quinto anno deſiit.

Manus congregatorum IOANNES III. nunc feliciſſimâ prudentiâ regnans. Nam *manu* ſua *congregatorum* in Comitijs Electionis Ordinum, ut ArchiMareſchallus Regni ſcipionem gerens, moderamen tenuit.

Habuit ſuum Polonia Herculem i. e. monſtrorum domitorem CRACVM, hic enim monſtra ciuilium diſcordiarum

rum ſuſtulit, &, ut alter Hercules draconē horrendæ magnitudinis occidit, ac vaſtum Nemeæ ſub rupe Leonem mactauit, ita noſter Draconem immane monſtrum, quod in ſuſpenſo rupibus antro Cracouiæ habitaſſe dicitur, confecit. Rapiebat, *Sarnitio referente*, beſtia illa à ſpecu montis egreſſa jumenta & homines incautè oberrantes rictibus horridis voraciſſimè deglutiendo. Cracus afflictæ Cracoviæ condolens, tria corpora juſſit quotidiè exponi. Nam his contenta alia non requirebat. Sed & hoc oneroſum erat,

rat, propterea suapte industriâ excogitauit, ut corporibus, quæ objicienda erant, sulphur & cauma ignitum ex cerâ & pice includerentur, atq; occultarentur. Cumq; bellua tum naturali rabie, tum voraci esurie exagitata sine delectu oblatam prædam raperet, atq; voraret, sensim debilitata est.

VENDA maluit esse Princeps, quàm Principis uxor, maluit pugnare quam amare. Post victoriam in victimam se immolauit. Hostis amans ut amens, infelicem sibi manum injecit, illa triumphans in Vistu-

stulam se projecit. Rara contemptrix amoris, victoriæ, vitæ.

POPIELVS I. habuit morem se execrandi, ut sæpissimè in hæc verba eruperit, o utinam à muribus corroderer! Accidit hoc prodigiosum supplicij genus, licet non ipsi, tamen filio ejus POPIELO II. ut Annales veterum perhibēt.

Notatu dignum, quod illo ipso loco, scilicet Crusuiciæ, ubi POPIELVS à muribus consumptus, & prima classis vel Dynastia desiit, altera PIASTÆA feliciter incepit.

VLADISLAVM I. tradunt fuiſſe Religioni ita deditum, ejusq́; ceremoniarum ita pertinacem, ut certis diebus feſtiuis more Machabæorum pugnam inire detrectaret, maletq́; quodvis periculum inire, quàm ſolennitatem feſti contemerare. *Sarnic.*

Omnes & ſinguli BOLESLAI, quorum quinq́; fuerūt, ſingularia cognomina habuerunt, 1. CHOBRI, 2. AVDAX 3. CRIVOVSTV, 4. CRISPVS, 5. PVDICVS dicebatur, imò & ille BOLESLAVS, cui, poſtquam PVDICVS in Vngariam

am transfugerat, Principatus decernebatur, CALVVS vocabatur.

BOLESLAVS CHOBRI tātum erga Religionem Chriſtianam exhibuit zelum, ut occiſi Adalberti Martyris corpus auro contra appenſum à barbaris redemerit.

Singularis magnanimitatis ac felicitatis exemplum refert *ex Guagnino Sarnitius* de Rege BOLESLAO CRIVOVSTO, quòd recreationis gratiâ centum duntaxat Equitibus cinctus venatum proceſſit, ubi

in

in tria millia Pomeranorum insidiantium incidit, in quos ipse Rex veluti Leo rugiens primam impressionem fecit, tribusq; interfectis suos animosiores reddidit. Quidam verò Pomeranus in ipsum Regem collimans, eqvum sub eo transfixit, attamen à persequēdis hostibus, altero equo accepto, haud destitit, donec multo cum labore à tam obstinatâ audaciâ retractus fuerit.

Miram in præfato BOLESLAO CRIVOVSTO Metamorphosin notat Historia, quod postquam, ut verus Mar-

tis

tis pullus, toties in *conspectum hostium venisset*, victorq; semper abijsset, tandem *conspectum hominum* vitaverit, assiduo se domi luctu macerans, quòd à Russis dolo circumuentus & in prælio fortiter rem agens à suis tamen destitutus non aliter, nisi fugâ, sibi consulere potuerit.

Primus inter Regnantes Poloniæ literatus *primus* etiam fuit nominis scilicet CASIMIRVS *primus*.

Singulare est, & vix alibi in aliorum Regum Historia occur-

currit exemplum continentiæ, inter BOLESLAVM IV. & CVNEGVNDIM Belæ Vngarorum Regis filiam. Post nuptias enim consensum utrinq; est in perpetuæ Virginitatis Sacramentum, unde Boleslao nomen Pudici inditum fuit.

CASIMIRVS I. *Rixâ* matre genitus *rixas* domesticas in Regno feliciter composuit.

Qui à maximis orti, in minimos sæpè decreuerunt, è cõtra PIASTI sanguis parvum principium habens, post tot sæculorum non interruptam se-

riem nonnisi in MAGNO scilicet CASIMIRO desiit.

CASIMIRVS iste Magnus cum anno 1370. die festo, dissuadentibus suis, venatum abijsset, & cervum insectaretur, eqvus cum impetu lapsus est, ut carnosum Regis corpus cõquassatum, & mors subsecuta fuerit.

Forma & corporis habitus CASIMIRI Magni prorsus cũ CASIMIRI Primi forma corporisq; habitu conuenit; ita ut isti duo Principes, uti nomine, ita & personâ simillimi in-

inter se fuerint. *Sarnic. in Annalibus p. 330.*

Postquam IAGELLO cum Christiana Religione nomen VLADISLAI & coronam susceperat, atq; nuptias cum HEDVIGA celebrauerat, in Lithuaniam proficiscebatur, ubi Apostoli & Euangelistæ Officio functus, ita elaborauit in promouenda fide Christiana, ut ipsemet in Templo interpretatus sit Symbolum Apostolicum, tanto successu, ut per annum Regio ista ab Ethnica superstitione repurgata sit. *Sarnic. in Annal. p. 347.*

Cum idem Rex Iagello, & Vitoldus Magnus Dux Lituaniæ circa conuersionem Samogitiæ laborarent, accidit lepida res Nicolao Wężyk Ordinis Prædicatorum Sacerdoti ad populum, præsentibus Principibus, verba facienti, explicabat forte de suggestu creati orbis seriem Sacer Orator, cum grandis natu vetulus Sacerdotis sermonem interrumpens, populum elata voce alloquitur, mihi credite viri, quæcunq; ab hoc juvenculo homine dici audistis, ficta profectò sunt, unde enim ille hæc nosset, cum ego tot annos &

propè ſeculum integrum vitâ & memoriâ complexus, nequaquam horum recordor. Abijſſet tota concio in riſum, niſi Rex authoritate ſuâ Sacerdoti fidem feciſſet apud populum. Perbenignè enim tum edentulum illum, tum reliquos allocutus, edocuit, Sacros Oratores non ea pro cōcione dicere, quæ ipſi, aut oculis ſuis uſurpaſſent, aut ætate attigiſſent, ſed quæ pluribus ante ſeculis Supremi veriq; DEI potentia effecta ex majorum doctrina ſcriptorumq; vetuſtorum monumētis, præcipuè ex diuinis libris hau-

hauſiſſent. *Kojal. par. 2. lib. 11. p. 94. & 95.*

Idem Rex VLADISLAVS cum domo egrediendum foret, unipedi inſiſtens, ter in gyrum ſe circumferebat. *Id. Kojal.*

Idem Rex in miſſæ ſacrificio, cum Sacra Hoſtia á Sacerdote in altum leuaretur feſtucam, aut quidquam ſimile arreptum minutimq; confractū abijciebat, affirmando hoc argumento, Supremi Numinis in omnia authoritatem Regiorumq; capitum ſubjectionem ſe

ſe publicè profiteri. *Idem par. alt. p. 16.*

IAGELLO vino ſemper abſtinuit, & filius ejus CASIMIRVS ſolam frigidam potitare ſolitus. Sobrietatis etiam ſingularis fuit VITOLDVS Magnus Dux Lithuaniæ, nunquam enim vinum, aut è grano vel melle coctum potum guſtauit. *Kojal.*

Confectis anno 1418. induciarum tabulis cum Crucigeris Rex VLADISLAVS IAGELLO majorem Poloniam petijt, in quo itinere dum Poſna-

ſnaniæ Srodam tendit, non multum à periculo vitæ abſuit. Repente enim atræ nubes cælo obductæ incredibili tempeſtate detonuerunt, duobus Regni currus ſatellitibus, quatuor à ſexiga equis, quinto ſub armigero fulmine ictis. *Kojal. par. 2. lib. 2. p. 107.*

HEDVIGIS ſæpefati Iagellonis uxor, tantæ fuit humilitatis, ut ne tapetibus quidem parietes conclauium ornari permiſerit. *Cromer. fol. 328.*

ELISABETHA CASIMIRI IV. vxor ſingulari fæcundita-

 te

te ac felicitate gauiſa eſt, non ſolùm enim quatuor Regum mater fuit, ſcilicet VLADISLAI Hungariæ & Bohemiæ Regis. IOANNIS ALBERTI, ALEXANDRI, & SIGISMVNDI, Regum Poloniæ, ſed etiam Regnantes vidit. Filias præterea quatuor habuit, Heduigem BAVARIÆ, Sophiam Marchionis Brandeburgici, Barbaram Saxoniæ, Elizabetham Legniciæ Ducum cõſortes.

LVDOVICVS Rex hoc habuit peculiare, qvod nõ nũquã diſſimulato habitu vicos & op-

pida perluſtrauit, ut cognoſceret, quid de Publicanis & exactoribus, Iudicibus & Magiſtratibus ſuis, ac de ſe deniq; vulgus hominum aſſentandi neſcium ſentiret, multaq; ex horum ſermonibus in ſe ſuiſq; correxit ac caſtigauit. *Sarnicius.*

SIGISMVNDVS I. tanti fuit roboris, ut ætate florenti ſoleas ferreas, quales equis ſuppinguntur, frangere, funeſq; canabinos rumpere ſolitus fuerit.

SIGISMVNDVS prædictus ita expers fuit ambitionis, ut

Hungaricum, Sveticum, Bohemicum Sceptrum oblatum repudiauerit.

Singularē apud ſubditos habuit ſecuritatem, ut dubitauerit, in ſinu ſe cujuſq; illorum poſſe confidenter ſomnum capere. *Koial. p. 408.*

Meruit SIGISMVNDVS I. poni inter tres Heroas illos, qui niſi ſimul imperaſſent, ſinguli digni fuerint, qui toti orbi imperarent: Hi ſunt CAROLVS V. Imperator, FRANCISCVS I. Galliæ Rex, & iſte SIGISMVNDVS.

Eo die, quo Foxius Mathematicus prædixerat, Regem SIGISM: AVGVSTVM, periturum, pila emiſſa Regiomōti: anno 1952. cum magno tormentorum reboatu ſalutaretur, fere tetigerat Regem, ut quæ fortuita ſolum equi declinatione præteruolans, poni ſequenti Viſnouecio caput abſtulit. *Paſt: in Flor: Pol. vid Gornic. in Actis fol. p. 56.*

Circa diſceſſum Regis HENRICI ex Poloniâ in Galliam, hoc ſingulare notandū, quod cum Ioannes Comes in Tenczyn Succamerarius Regni Re-

gem insecutus esset, & humi prostratus rogasset, ut ab instituto desisteret, Rex propositi sui tenax in lacrymas solutus fuerit, ac circa valedictionem, uterq; ex inciso digito alterius sanguinem biberit. Quanti enim præfatus Rex Tenczynium æstimauerit, ex literis circa suum abitum relictis Cracouiæ patet, ubi scripsit, hoc unum tantùm addā hac posteriore epistolæ parte, te eum esse, quem ego summopere amaui, quem plurimum feci, & cujus vicissim amicitiam & beneuolentiā erga me sempiternam esse cupiam.

am. *Vid. Paproc. in Stem: p.* 39.

STEPHANVS Rex Attilæ primo Duci Hungarum simillimus traditur, quod ex Procopij Historici descriptione, *Sarnicius in Annalibus p.* 410. *deducit.*

De morte Regis STEPHANI singulare hoc memoriæ prodit allegatus *Sarnitius*, quod inualescente morbo interrogatus à circumstantibus, quomodo se haberet, responderit, licere sibi nunc uti verbis illis Divi Tertulliani, quinquaginta quatuor annos peregi,

gi, ſcio quales dies fuerint, quales verò futuri ſint inpoſterum, ignoro.

Polonia habuit duos Reges, qui licet ſimul alterius Regni fuerint Hæredes, unum tantummodo retinuerunt, ſcilicet, HENRICVS I. & SIGISMVNDVS III. ille Polonicū amiſit, & Gallicum hereditarium retinuit, hic Polonicum retinuit, Sueticum hereditarium amiſit.

SIGISMVNDVS III. quotus in ordine Regnantium, tot regnauit annos, fuit enim quadra-

drageſimus quartus Rex; & quadraginta quatuor annos Regno impendit.

SIGISMVNDVS ille Rokoſſianos anno 1607 profligauit ad Pagum Guzowo, fatali denominatione à tubere ex ictibus alicui incuſſis.

Mathematicus quidam Cracouiæ degens dedit peritiæ ſuæ illuſtre ſpecimen, quando feralem ille prædixerat ictum, quo olim foedus parricida Piekarſcius SIGISMVND: III. tantum non de vita ſuſtulerat. *Paſtorius in bello Scythico Coſac. pag. 216.*

SIGISMVNDVS I. Smolenscum amisit, SIGISMVNDVS III. à Moschis recuperauit, sic Avi damna nepos sarciuit.

Duo SIGISMVNDI, duas sorores in thalamum adduxerunt, SIGIS: AVGVSTVS ELISABETHAM & CATHARINAM FERDINANDI Romanorum Regis filias. SIGISMVNDVS III. ANNAM & CONSTANTIAM CAROLI Archiducis Austriæ filias.

SIGISMVNDVS III. dum defũctæ Reginæ CONSTANTIÆ

TIÆ funus apparat, ipse fit funus. Dum uxorem Cracouiã ad auitum Mausolæum deducere cogitat, ipse simul deportatur, ita quos junxerat thalamus, jungit tumulus.

Singulare est, quod SIGISMVNDVS III. Rex Catholicus cum Regina ANNA ab Archiepiscopo Vpsaliensi Augustanæ Confessionis Abrahamo Andreæ coronatus.

Ipso die discessus Regis SIGISMVNDI III. cum Vladislao Principe è Smolensco catharacta pensilis Ducalis portæ,

tæ, qua Rex erat tranſiturus, caſu abrupta, & delapſa, portam obſtruxerat, nec ulla vi dimoueri poterat, ut Rex ad aliam portam deflectere debuerit, omine non vano, quod introitus Ducales in Moſchouia conſecuturus nō eſſet. *Piaſec. in Chron. ſub Anno 1612. Kobierzycki in Principe Vladiſlao p. 453.*

Præcedens natiuitatem VLADISLAI IV. nox fortuito incendio illuſtris fuit, nam melior pars Palatij Regij Cracouiæ conflagrauit, unde variorum ingenia varia felicita-

tis omina traxerunt. Certè caſus ille Arci benè ceſſit, nam GEORGIVS RADZIWILL ex fodinis in agris Kielcenſibus Epiſcopatus ſui Cracouienſis tunc recens inuentis, Regi tātum cupri dedit, quantum ſufſecerit tectis ſplendidiùs reſtituendis.

Vladiſlaus Princeps natalē habuit in urbe Regni Metropoli annum ſeſqui milleſimū nonageſimum quintum, diem Iunij menſis nonum, qui itidem olim Patri illius Sigiſmūdo vitæ principum fuit, anno exorientibus tunc Belgarum

turbis memorando. *Kobierz: in Vladiſlao Principe.*

VLADISLAO IV. & IOANNI CASIMIRO fratribus duobus, duæ ſorores ANNA & CONSTANTIA fuerunt Matres, & una ambobus vxor MARIA LVDOVICA.

Duo CASIMIRI priùs Religioſam, quam Regiam vitam probarunt. CASIMIRVS I. & IOANNES CASIMIRVS, ille in Monaſterico Gallico Cluniacenſi jam Diaconus erat, hic per biennum Ieſuita, & antequam perſeuerantiam in

in eo ſtatu profeſſus eſſet, ab INNOCENTIO X. Papa in numerum Cardinalium cooptatus; ille ex Galliâ redijt ad Regnum, hic in Galliam abijt è Regno.

Mirum edidit exemplum IOANNES CASIMIRVS Rex, dũ Pomũ Regni ſpontè ceſſit, cũ Regna ſint alijs poma Eridis, de quib9 tam ſolicitè agunt decertantq́; Alij abdicantes fratribus aut Conſanguineis Coronam tradiderunt, ſed IOANNES CASIMIRVS eandẽ Patriæ chariſſimæ reddidit, ut hæc liberis ſuffragijs ſucceſſorem deſignaret. Ob-

Obſeruatione digniſſimum, quòd SIGISMVNDVS AVGVSTVS ultimus ſtirpis Iagiellonicæ maſculinæ anno 1548. regnare incepit, & IOANNES CASIMIRVS ultimus ex ſtirpe maternæ familiæ Iagiellonicæ verè ſeculo pòſt videlicet anno 1648. Sceptrum obtinuit.

Singularis obſeruationis res eſt, quod ultimi deſcendentes domus Piaſtææ & Iagellonicæ uno tempore fuerint humo mandati. Dux enim Lignicenſis Bregenſis Georgius Vilhelmus ex lineâ Piaſtæa anno 16-

76. die 30. Ian: & IOANNES CASIMIRVS Rex die 31. ej. ſepultus eſt. imò ſi introitus Sereniſſimi Regis IOANNIS III. præfixo die ſcilicet 29. Cracouiæ celebratus fuiſſet, utriuſq; exequias unus dies 30. Ian. junxiſſet. Sic tandem domui Piaſtææ tanquam priori priùs juſto Ordine juſta ſunt exſoluta.

Singulari prouidentiâ DEVS domum Iagiellonicā Sceptro Polonico deſtinauit, dum non tantùm poſteritatem Iagiellonis ducentis octuaginta annis regnare, ſed etiam pur-

purâ, quam ultimus ejuſdem Rex IOANNES CASIMIRVS depoſuerat, frate rnum Iagiellonis ſanguinem, MICHAELEM niteſcere voluit.

CAROLVS FERDINANDVS Princeps filius SIGISMVNDI III. etſi curâ Ieremiæ Ducis Viſnouecij Palatini Ruſſiæ ſceptrum non obtinuerit, arcanâ tamen fatorum gubernatione educauit futurum Poloniæ Regem ſcilicet MICHAELEM dicti Palatini Filium.

Ex ore Sereniſſimæ Reginæ MA-

MARIÆ LVDOVICÆ de Michàéle Principe Viſnouecio audita eſt aliquando vox : ſi Polonus ſuccedere ſceptro debeat, non alium quærendum eſſe. Sic Vncta Domini vngendum, mouente Numinis potentia, enunciauit.

Antequam eligeretur Rex MICHAEL examen apium inter ſuffragatores conſedit, bono omine Piaſtum eſſe eligendum, Piaſtus enim olim apiarius fuit.

Anno 1676. Cracouia tres Reges habuit, duos ſimul tumu-

mulandos & unum Coronandum, illos IOANNEM CASIMIRVM & MICHAELEM hunc IOANNEM Tertium.

Stuporis plena res eſt videre Bochniæ & Vieliciæ abyſſum ſalis fodinarum, quas acceptas referunt precibus Cunegundæ Conjugis BOLESLAI Pudici. Cum per aliquot ſecula non niſi funium beneficio deſcenſus & aſcenſus fuerit, Sereniſſimus Rex IOANNES Tertius rem perpetuâ laude ac memoria digniſſimam præſtitit, dum *Salisfodinas Vielicenſes ſcalis* dona-

nauit. Inſigne hoc opus inſigni Carmine Muſa Illuſtriſſimi Principis LVBOMIRSCII ArchiMareſchalli Regni expreſſit.

TERTIVS hæc ſcalis donat
Rex antra IOANNES,
Sic patet & paret facilis deſcenſus averni,
Hic revocare gradum ſuperaſq; evadere ad auras
Non labor ullus erit, novus hæc Maro marmore cantet.

Memorabile eſt illud incendium, quod ſub finem anni 1644. 16 Dec. in ſalisfodinis

Vielicensibus pabulo equino in candelam per incuriam injecto ortum est. Durauit illud ultra annum teterrimo fætore ac vapore.

Singulare ac omne in ævũ laudatissimum exemplum edidit Serenissimus Rex IOANNES Tertius dum anno 1683. Exercitum è Regno suo in Austriam Pannoniamq; contra Turcas Tartarosq; eduxit. Alij Reges aliis submittunt auxilia, hic ipse adducit. Alii alienis involare solẽt, hic ut Defensor advolat, alij vicinis ditionibus detrimentum inferre so-

solent, hic incrementum affert. Alii venire solent, ut fortalitia obsideant, hic ut ex obsidione liberet. Album & atrum alias inimica, hic amica. In prælium enim veniunt, ac in eodem benè conveniunt atra & alba Aquila. Alibi inter diversas Principum copias discordia, hîc sub auspicijs Fortissimi Regis sũma inter tot Princeps concordia. Occultã quãdã vim virtutẽq; Nomini Regio de salvãdâ VIENNA inesse, tunc ostendi, dũ Serenissimus Cracoviâ motioni militari sese accingeret. Cum post hac invento eventus tam feliciter aspirasset, publico Orbis applausui, tenuitas mea sequens Carmen apposuit. FE-

FELIX OMEN IN NOMINE

Serenissimi, ac Potentissimi, Principis ac DOMINI DOMINI

JOANNIS TERTIJ

REGIS POLONIÆ

MAGNI Ducis Litvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Volhyniæ, Kijoviæ, Podoliæ, Podlachiæ, Smolensciæ, Severiæ, Czerniechoviæq; Cælitus reconditum.

& Mense Augusto cùm Augustus Noster ad angustias Viennenses cum Exercitu moveret inventum ac publicatum, postea elucidatum

&

Sacræ Regiæ Magiestati Domino suo Clementissimo humillimâ cum devotione dicatum dedicatumq; Anno quo

VrbIs VIennensIs obsIsDIoneM TVrCa reLIqVIt & fVgIt.

IOANNES TERTIVS REX POLONIARVM

per anagramma

SISTOR, VIENNA EX MALO

LO REPONITVR.
vel ;
VIENNA EX MALO SORTIS REPONITVR

Conveniſſe ſuis interdum nomina rebus,
Edocet hoc ætas noſtra, priorq́; ſatis.
In re tam clara non ſunt exēpla petenda,
Eventū nobis hoc anagramma probat ;
Si *veni, vidi, vici* de ſanguine juli
Prognatus Cæſar, Gloria Martis, ait.
REX potius Noſter fortiſſimus, inclytus orbis
Chri-

Chriſtiadum Vindex dicere jure poteſt ;
SISTO me, *video* te Turca, tuaſqué phalanges,
Vinco, & victarum terga coacta premo,
Exq́; MALO SORTIS confeſſa REPONITVR inſtar
Muri Germanis magna VIENNA ſuæ.
Vincere non noſti modò, ſed cum foenore noſti,
Hoſtes Tu ſequeris, Te bona ſors ſequitur.
Vt ſunt inſignes Romano ſanguine *Cannæ*,
Sic *Barcanenſis* terra cruore madet.

O nimium dilecte DEO, quem vincula pontis
Rupta, juvant præceps ut bibat hostis aquas;
Sanguineis guttis miscetur cursus aquarum,
Amnis Danubij fit mare purpureum.
Muri oppugnantur, sub ius, & pristina legum
Hungariæ Regis vincula nunc redeunt.
Sed *Noster* dum REX alienis militat oris,
Exemplo forti foedera sancta colens
Pressis Cosacis redit in præcordia virtus,

Sævum Turcarũ discutiuntquè iugum;
Subque Tuis REX auspiciis dare pectora ferro
Discupiunt, mortẽ dulce decusque putant.
Sicque Tuum REX Magne domique forisque per orbem
Nomen foecundæ semina laudis habet.
Non adeò Romam conterruit *Annibal* ante
Portam, quàm Te nunc Turcica *Porta* timet.
Quod sit *perfectum verè trinum omne*, *IOANNES*
Tertius ostendit per sua gesta satis,

Est ut non nullis prædicta potentia Regni,
Sic etiã Tua, REX, ante notata libris.
Exq; malis populum quod sit Tua dextera multis
Salvatura, rarã dicta dedêre fidem.
Omnia cum Domino incipiet, bene finiet ILLE,
Vatidicè dudũ Suetica scripta canunt.
Ergò REX vivas, vincas, sine *fine* triumphes
Donec *fine* suo corruet Orbis opus.

Inter memorabilia locum me-

meretur, quòd primus Dux Curlandiæ Gotthardus anno 1561. à *SIGISMVNDO AVGVSTO ultimo stirpis Iagiellonicæ masculinæ* constitutus fuerit, & seculo post scilicet anno 1660. Dux *IACOBVS* post Pacem Olivensem ex captivitate Svetica sub *IOANNE CASIMIRO ultimo Domus Iagiellonicæ ex stirpe maternâ* reintroductus.

Singulare & nunquam auditum constantiæ exemplum in prædicto Duce *CVRLANDIÆ IACOBO habet Polonia*, qui miro & miserabili Orbis

bis ſpectaculo cum Sereniſſimâ Conjuge ſanguinis Electoralis Brandeburgici, tunc puerperâ, ac ſeptem liberis in Captivitatẽ maluit deduci, quàm à fidelitate abduci.

Vſq; tenax Iurisjurandi, ac cedere nolens
Nec vi, nec pretio, nec prece mente ſuâ.

Licet alibi uxor coruſcet radijs mariti, in Curlandiâ tamen prærogativam non à marito, ſed à matrimonio priùs inito, accipit.

Dic quibus interris capiantur in æthere piſces?

Fit hoc in Curlandiâ ad Goldingam in flumine Vinda, ubi piſces eminentem ſcopulum volentes ſuperſilire, retibus in àëre expoſitis ſe involvunt.

Singulari *ARCHIEPISCOPVS* Gneſnenſis prærogatiuâ eminet, quod Mareſchallũ habet ex eo Ordine, in quo ipſe eſt, nimirum Senatorio, quippè unus ex Caſtellanis currum illius Eques antecedit.

DE CAPITANEO SAMOGITIÆ hoc peculiare notandum, quod non, ut alij Capitanei, à ſolo Rege conſti-

tuatur, ſed vacante ſede unus à Nobilitate Canditatus Regi præſentetur, quem confirmat, deindè hoc ſingulari honore fulget, quòd etiamſi nullus Capitaneus locum in Senatu habeat, ille tamen in curuli ſedeat, multoſq; Palatinos præcedat.

Licet alij Palatini tam in Regno, quam Magno Ducatu Lituaniæ à Rege ſolo creentur, tamen *PALATINUS POLOCENSIS* à Nobilitate eligitur, & à Rege confirmatur, juxta Privilegia antiqua à *VLADISLAO IV*. anno 1647.

Annus 1559. uti multis Principibus, ita & Reginæ Poloniæ fuit *fatalis* unius enim anni ſpatio *CAROLVM V*. Imperatorem II. Daniæ Reges, Franciæ Regem, Veneti Senatus Principem, Pontificẽ, Palatinum Septem Virum Ferrariæ Ducem III. præterea Reginas, Helionoram Franciæ, Mariam Hungariæ, ac deniq; Bonam Sfortiam Poloniæ ultimum vitæ diem clauſiſſe patet.

Sic etiam annus 1632. non tantum aliquot Principibus ſcilicet *FRIDERICO* Palatino Rheni, *LEOPOLDO* Archi-

Duci Austriæ, *CAROLO* Regis Hispaniæ fratri fuit fatalis, sed etiam duos Reges de uno simul Regno nimirum Suetico vocatos è vita evocavit, *GUSTAVUM ADOLPHUM Regem Sveciæ* ad Lutzenam in prælio, & postea alterum *SIGISMUNDUM III.* Regẽ Poloniæ & simul *Sveciæ.*

LUCAS WEISSELROT Episcopus Varmiensis nunquā, ut fertur, *risit*, sed tamen omnia *ridentia* sive læta Terræ Varmiensi præstitit ac reliquit.

- - - *Nam pace quieta*
Floruit, & mensa est multis
proventibus aucta,
Arx Heilsbergensis flammis
absumpta renata est.

NICOLA: SZYSZKOWSKI itidem Episcopus Varmiensis
Omnibus excultus Fortunæ animiq; talentis,
Fit similis puero, tetricus, lucemq; perosus.

Singulare bellicorum meritorum præmium *refert Sarn:* de *IOANNE* à *TARNOW*, *quem SIGISMUNDUS I.* tanti fecerit, ut post illam memorabilem de Valachis *Victoriam ad Obertinum* binorũ

Grossorum in jugera contributionem publicam ei decreuerit.

In supra dicti prælij eventu singularis fortunæ lusus refertur, dum in illo tot omnino hostium cecidisse reperti sunt, quot Polonorum pugnauerāt, nimirum quatuor millia, cùm hostilis Exercitus viginti duum millium fuerit.

Inter singularia & antiquitates referri potest, quòd ad Glussininum, ubi tempore Regis *LOCTICI* bellum acerrimum *cum* Cruciferis gestum, ducta fuerit *fossa septem milliari-*

rium, cujus adminiculo aliquot millia Polonorum strenuè sese aduersus Cruciferos defenderunt, exemplo Iulij Cæsaris adversus Pompeium durante bello Pharsalico. *Sarnicius in Indice tabulæ Sarm:*

Anno 1511. *LASKOWSKI* genere Polonus, in Polonia à *TVRCARVM* Imperatore *Legationem* obijt, *teste Sarnicio pag: 383.*

Sic anno 1569. Imperator Turcarum Selim expedivit ad *SIGISM: AVGVSTVM* Regem, Imbraimum Strasz Nobi-

bilem Polonum renegatum. *vid. Paproc: p. 402. & 643. 330. & Lucas Gornicius in Rebus gest. Pol. p. 184. & 185.*

Notari meretur temporum revolutio, quod *CAMENECIA* Podoliæ, quæ ab *OLGERDI* Magni Ducis Litvaniæ ex fratre nepotibus, quos Podoliæ præfecerat, *condita*, sub *MICHAELE Rege* ex *OLGIERDI* familiâ oriundo à Turcis occupata sit.

Memorabiles Nuptiæ sunt, quas *CASIMIR: MAGNUS* nepti suæ *ELIZABETHÆ* ex

ex *BOGUSLAO* Pomeraniæ Duce genitæ parauit; adfuerunt enim istis Solennibus, præter sponsum *CAROLUM* Imperatorem, quatuor Reges, nimirum *CASIMIRUS MAGNUS* Polonorum, *LUDOVICUS* Vngarorum, *SIGISMUNDUS* Danorum, *PETRUS* Cypriorum Rex Ponto & aduersus Istro in Valachiã, deinde terrestri itinere per Russiam aduectus Cracoviam, item Principes alij non pauci, qui magnificentissimè habiti sunt, durantibus usq; in vigesimum diem Nuptijs & Conviviis.

Vt

Vt Romanis libertatem pudicitia, sic Polonis & Litvanis *RELIGIONEM pietas muliebris* attulit. Illos *BOLESLAI* Bohæmorum Ducis Filia nomine *DOMBROWCA* anno 965. à *MIECISLAO* in matrimonium ducta, *CHRISTO* adduxit. Hos anno 1386. *HEDWIGIS*, quam in Conjugium petebat *IAGELLO* se & Lithuaniam ad Christiana Sacra offerens. Nec impediri poterat Divinum Consilium, quod in his *HEDWIGIS* Nuptiis aliud novum Lithvaniæ cum Poloniâ conjugium moliebatur.

In

In nullo Regno, ita ut in Polonia *QVATVOR RELIGIONES* scilicet *CATHOLICA, AVGVSTANA, REFORMATA, & RVTHENICA, per Pacta Conventa* publico gaudent exercitio; *REGES* enim à morte SIGISMVNDI AVGVSTI juramento se obstringunt *ad Pacem inter Dissidentes Religionis Christianæ tuendam.*

Singularem ante hac libertatem habuerunt homines RELIGIONIS GRÆCO RVTHENICÆ, dum è Regno Poloniæ ad Patriarcham Constā-

ti-

tinopolitanum appellationes interponebant ac proſequebā-tur. Sed cum ille ſub hoſte Chriſtiani nominis habitet, prudentiſſimè modernus REX *IOANNES III.* in Comitiis felicis Coronationis anno 1676 appellationes iſtas ſuſtulit, ſanciendo contra tranſgreſſo-res pænam colli, & confiſca-tionis bonorum, permitendo tamen aggrauatis appellatio-nem ad Iudicia Relationum.

Singulare *converſis Iudæis* beneficium exhibet *Statutum Lithvanicum cap: 12. artic. 7. par. 5.* quòd nimirum, ſi iu-

Iudæus vel Iudæa Religionem Chriſtianam amplexus fuerit, *Nobilitatis prærogativam* unà cum ſobole acquirat.

HEDVIGIS Regina in quo-dam Conuentu ferocientibus & juſtas conditiones pacis a-ſpernantibus CRVCIGERIS Prophetico Spiritu cladem il-lam, quâ poſtea illorum vires fractæ conciderunt, prædixit, ſe quidem viuente pro eâ au-dacia nihil aduerſi eos paſſu-ros, poſt mortem verò ſuam maximis cladibus illa omnia expiaturos. *Sarnic: p. 342.*

Cum ante prælium inter Grunvaldam & Tannebergam arrogans & victoriæ securus Crucigerorũ Magister CONRADVS à TVNGINGEN duos enses sanguine imbutos miserat, unum Regi VADISLAO IAGIELLONI, alterum VITOLDO Rex imperterrito respondit animo: benè *est, accipio lubens* gladios, ut *omina victoriæ secuturæ, cùm victoribus victi arma sua tradere soleant.* Vti dictum ita factum; magnam enim & memorabilem Rex, cæso ipso Ordinis Magistro, obtinuit victoriam, quam præcipuarum *Borussiæ Vrbium* secuta est *deditio.*

Singularem se DEVS Christiadum contra Turcas vindicem sub Rege ALBERTo ostẽdit, postquam enim hi anno 1499. Mense Octobre in Russiâ igne ferroq; grassati essent, inopinato prædatoribus frigus adeò intensum, nivesq; adeo profundas immisit, ut ad quadraginta Turcarum millia obriguisse ac periisse tradantur. Nonnulli equos mactârunt, alij in exenteratis eorũ ventribus calorem quæsiuerunt, multis etiam, qui inclementiam àëris quòcunq; euaserunt, in Moldauiâ ab incolis ipsis, habitum Polonorum mentitis, misera vi-

vita erepta est, adeò, ut testimonio Historicorum, ex septuaginta millibus vix decē mille domum reversi sint.

Miro fati velut *ludibrio* Nobilis quidam fortissimus ex familia HERBVRTORVM salvus evasit. Cum enim tempore SIGISMVNDI AVG: Regis à duobus Turcis ex utroq; latere invaderetur, & unius sarissâ fere non equo ejiceretur, alterá parte irruens simili telo hostis defluentem restituit, ita mox impetu stimulati equi ad suos pervenit.

Singularem IOANNES ZAMOYSCIVS apud milites autoritatem habuit, adeò ut in Moscovia ad obsidionē Pskovensem usq; ad sextam Februarij Exercitus duraverit.

Singularis hîc appono animositatis notam vocemq; omni ad posteritatem laude dignissimam. Cùm ad Cecoram Turcæ de tumultu inter nostros edocti distractam pervaderent carraginem, magnamq; ederent stragem, atq; Duci Zołkievio Avo materno Serenissimi Regis IOANNIS III. accurrens quidam Tribunus

eqvum ad effugium porrigeret, ictu gladij eqvum abegit, in glorium dicens, pereunte Exercitu armorum Ducem fugere, mox inter confertos hostes stricto gladio procurrens, ignotus quisnam esset, occubuit. *vid. Fredro in Fragm:*

Singulare est, quòd Carolo Chodkievicio Palatino Vilnẽsi, & per Lithuaniam Generali Exercitus Præfecto, uterq; Exercitus Regni & Magni Ducatus Lithuaniæ paruerit.

Singulare est, quòd cùm alibi DVELLA simpliciter sint pro-

prohibita, in Poloniâ cum scitu Regis peragi possint juxta Constit: 1588. Quod hanc licentiam SIGISMVNDVS I. semel dederit, refert suâ memoriâ *Cromerus.*

EXPEDITIO GENERALIS ita privilegiata est, ut nullus famulus conditionis Nobilitaris, qui sub tertijs Vniversalibus servitium suscepit, à Dobus servitium suscepit, à Domino recedere possit, sub pænâ capitis & infamiæ. Notandum hîc, quòd illi etiam, qui Decretorum vigore pro pænâ publicâ sessionis turris satisfaciunt, ad expeditionem venire,

re, & postea reliquam sessionē absolvere tenentur. Constit: 1621.

Expeditionem BVCOVIENSEM contra STEPHANVM Moldaviæ Palatinum *fatalia* quædam *signa*, ut refert *Sarnitius lib: 7. pag: 371.* præcesserunt. Equus generosus in quodam torrente paruo juxta Leopolim sub Rege IOANNE ALBERTO succubuit, paululaq; aquâ obrutus est. Eques item Polonus Szrobski, cùm esset insanæ mentis, clamabat vociferans; Nostri in suum malum proficiscuntur. Ful-

men etiam quendam equitem cum duodecim equis interemit.

Singulare in Polonia nomē habent QVATVOR MENSES, OCTOBER, NOVEMBER, DECEMBER, vocantur enim MILITARES, quòd Rex vacantia per illos beneficia Capitatia per illos beneficia Capitaneatus, Tenutas & Officia Terrestria benè meritis militibus conferat, vigore Constit. 1662. Iam ante illam Legem liberali in militares viros animo Rex VLADISLAVS IV. fuit, adeò, ut militibus primariò bona, honores, & titulos offerret. Vn-

Vndè Anagramma benè conveniens;

LADISLA' DAS VILLAS.

Casus, an ingenium, mens an præsaga futuri
Transpôstis literis hoc Anagramma dedit?
DAS VILLAS, capio non parci Principis omen,
Principis est virtus magna juvare suos.

Vtrumq; FOEDVS tam inter AVGVSTISSIMVM IMPERATOREM LEOPOLDVM, & Serenissimum Regẽ Poloniæ IOANNEM III. anno

no 1683. Varsaviæ, quám alterum inter hos & SERENISSIMAM REMPVBLICAM VENETORVM anno 1684. Viennæ conclusum est *Mense Martio*, non vano omine MARTIORVM contra Turcas *Successuum*, Marte ultore, DEO Tutore. Simile cum Venetis Foedus alij Reges Poloniæ desiderabant, sed res intra votũ stetit; Felix fatum in occulto hoc tenuit sub moderni Regis Nomine Gloriosissimo.

IOANNES TERTIVS REX VENETOS IN RES TRAXI.

Considerando vetera & ali-

quot seculis ferè continua *Tartarorum* adversus Polonos bella, res mira est, quòd Gens olim *inimica*, in Regem IOANNEM CASIMIRVM impensè *amica* fuerit, & contra illius ac Regni hostes hostilē induerit animum, submissis identidem Copijs, & quod magis, apud Aulam Othomanicā cum curâ egerit causam Polonam, imò, quod maximū est, Cosacos armorum stimulis eò adduxerit, ut primum manus abstinerent à Poloniâ, & tandem novo obsequij vinculo eidem adstringerentur *Past.*

Res mira, quod sub BOLESLAO PVDICO, qui cum uxore perpetuum *Virginitatis votum* habuit, *Tartari* ultra *viginti millia Virginum* abduxerint.

Sub hoc Principe BOLESLAO TARTARI *primo* eoq; *multiplici impetu* per Poloniā desævierunt. Russis, quòd toties immanissimam Gentem juverunt, non cessit impunè. Ferunt enim à transeuntibus *Tartaris* immissis humanis cordibus, quæ veneno imbuta erant, infectas aquas nova morborum genera peperisse,

quorum, ut causa diu fefellit Medicos, ita soboles hodieq; inexplicabili tricarum contage, quam *Plicam* vocant, creditur vulgò superesse. *Past: in Flor: Pol: lib: 2. p. 95. 96.*

Ex occasione *Tartarorum* hîc annoto, quòd nostra cum illis bella similia sint Romanorum cum Parthis. Si enim hodie recedunt & fugari videntur, in crastinum ipso mane redeunt. Trajectus Danastris tanti apud illos pensi, quanti apud Christianos vel minimus amnis. Res singulari admiratione digna, quod occulto DEI Iu-

Iudicio Natio ista pro flagello Christianis reseruata, *ne minimam* quidem patiatur *mutationem*, aut confusionem; eâdem utuntur linguâ, idem ipsis vestitus, ijdem mores, eadem belligerandi ratio, quæ ante aliquot annorum millia viguit. Notandum illud *Ovidij*, quod, inter ipsos ad Pontum Euxinum exulans, Romam *scribit*:

Maxima pars hominum nec te
pulcherrima curat
Roma, nec Ausonij militis
arma timet.

Dant

Dant illis animos arcus, plenæq; pharetræ,
Quàq; libet longis curſibus aptus eqvus.

Specialis gratia eſt, quòd cum Cives (Religionem Chriſtianam profitentes) non habeant facultatem *BONA terreſtria* poſſidendi, TARTARI in Lithuania Lipkowie (Mahumetanæ ſectæ addicti) eorundẽ capaces ſint. Hinc Cõſtitutio 1677. Tartarorum indemnitati proſpicit, cauetq; ut in Criminalibus juxta Statutum Magni Ducatus Lituaniæ æqualiter cum Ordine Equeſtri

ſtri habeantur, & in Cancellarijs Caſtrenſibus, Terreſtribus Tribunalitijs, & Aſſeſſorialibus à cauſis ſuis uti Nobiles, id quod Iuris, ſoluant ſine ulla depactatione.

Vilnæ quâvis ſeptimanâ tria celebrantur Sabbatha, die Solis habent ſuum Chriſtiani, die Veneris Tartari Mahometanæ addicti religioni, die Saturni Iudæi.

Singularis planè libertatis prærogatiua eſt, quòd in Comitiis Polonicis obſtante *unius contradictione* nihil concludi

possit, imò quod omnia iam sancita evanescant, quādo post Tribunitium illud INTERCEDO, Nuntius Terrestris nō reuertitur.

Parens Serenissimi Regis IOANNIS III. inaudito planè exemplo in sacrario libertatis, quaternis vicibus cū gloria & applausu, Mareschalli obijt functionem, referente hoc publicè ipso Rege in Comitiis Grodnensibus anno 1688.

Singulare est, quòd licet in Comitijs Varsaviensibus anni 1685. Consilia Ordinis Eque-

stris *Lithvanus* scilicet Illustrissimus Dominus ANDREAS GIELGVD Notarius Magni Ducatus Lithuaniæ Capitaneus Szadouiensis rexerit, tamen Comitia immediatè sequentia Grodnæ *iterum sub moderamine Lithvanico* celebrari debeant.

Prima Comitia Grodnensia fuerunt *ultima*, in quibus ad lucernam consilia in conclaui Senatorum habita sunt. *Secunda* verò Cōitia Grodnensia anno 1688. fuerunt *prima*, quæ sine principio, i e. sine electione Mareschalli finita sunt.

Singulare est, quòd Deputatis Tribunalitiis non liceat diebus feriatis *convivia* parare vel iisdem interesse, *secundùm Acta Electionis Regis MICHAELIS.*

Singularis olim in Polonia fuit poena, quâ *rubris* uti *vestibus* interdicebatur.

Quamvis quilibet sit rerum suarum Dominus & arbiter, ac supremæ voluntatis liber sit stylus, tamen jure Polonico facultas testandi non parùm est restricta, ita ut *de rebus immobilibus* Nobilitati disponere

non

non liceat, sed tantùm de mobilibus, ne scilicet facultates Nobilium ad extraneos interdum beneficio Testamentorū in præjudicium legitimorum hæredum transferantur; hinc Testamenta contra Statutum SIGISMVNDI I. Cracoviæ 1510. facta sunt irrita. *Statutū* autem sequentis est tenoris: *Pietatem sanctam opprimere nolentes, sed eam summo favore prosequi cupientes decernimus, ut Testamenta condantur juxta veterem Constitutionem ex more antiquitus seruato de bonis mobilibus, immobilia vero bona tam hæreditaria, quàm oppignora-*

ra-

rata (*ne defensio Reipublicæ minuatur*) *Testamenti ordinationi subjecta minimè esse debent: secus de bonis Regalibus, eadem enim propter Reipublicæ commodum nobis in parte vel in toto Testamento legari poterunt.*

Licet jure Iustiniano & Canonico nati ex soluto & solutâ liberi per *subsequens matrimonium* legi timentur, adeoq; in bona Parentum succedant, tamen in Poloniâ Ius singulare est, ita ut juxta *Constitutionem* 1578. liberi secuto matrimonio non efficiantur legitimi, neq; ullâ successione in bonis, neq; ul-

ullâ prærogatiuâ Nobilitari gaudeant, quia in expeditione bellica æqualis æquali testimonium perhibere debet, si desertæ stationis accusatus fuerit, quod eum locum, qui ipsi obtigerat, non tenuerit.

Singularis in jure Polonico *occidendi impunitas* est isto casu: si quis pro Nobili se gerat cum non sit, & occidatur, pro ejus capite mulcta non solvitur. Quod ita intelligendum est, si tanquam pro capite veri Nobilis Actio intentata fuerit vid. *Constit*: 1557.

 Spe-

Speciali rigore *alternata* Capitaneatuum Ducatus LIVONIÆ munita eſt, dum *Conſtitutio* anni 1589. Cancellarijs, ſi contra eandem egerint, privationem officij, & exportantibus ejuſmodi Privilegiũ, pœnam Infamiæ minatur.

PHILIPPO PADNIEVIO anno 1559. recenter Pro-Cancellario creato *Sigillum Regni* torqui aureo appenſum ex Cõclaui furto *ablatum* eſt. REX SIGISMVNDVS AVGVSTVS certior eâ de re factus, ab initio attonitus ſtetit. Deprehenſus poſtea fur ille ſigilli

candenti ſigillo ferreo per Vrbis Cracovienſis compita lancinatus laqueo vitam finivit. Recenſet hunc notabilem caſum fuſiùs *Rutgerus Horſt in lib. de Cancell: p. 710. 711. & Lucas Gornicius in geſtis Pol: pag. 145. & ſeq.*

Ex duobus MATHEMATICIS, qui ſingulari ſcientiâ ſuâ præclaram in Orbe gloriã meruerunt, unum produxit Polonia ſcilicet Nicolaum *Copernicum* Canonicum Varmienſem, alterum Tychonem Brahe dedit Dania.

Singularis mittendarũ Regiarum literarum modus fuit úsq; ad annum 1647. Ferebantur enim illæ per Aulicos ministros, quo res postularet, ita ut in Præfecturis Regiis vehicula darentur. Sed dicto tandem anno abolitum id onus & consensu Ordinum ad aliarum Nationum morem Tabellarij publici (POSTÆ vulgò) constituti sunt.

Singularis scribendi artifex fuit Stanislaus Pacholowiecki Notarius Cancellariæ tempore Regis STEPHANI. Refert enim de ipso *Paprocius in opere Stem-*

Stemmatum p. 210. quòd triginta characterum genera calluerit.

Concinna Vrbis Cracoviensis effigies est, dum *Aquilam* expansarum alarum, quod est *Insigne Regni* exprimit, si nimirum corpus vrbis per circumferentiam corpori Alitis, suburbia ab utraq; parte alis expansis, caput verò Aliti excelso monti seu rupi Vauelo, quod paulatim assurgit, conferatur. *Sarnicius in An: Pol. pag. 78.*

Cùm Magistratus Cracovien-

ensis Regi IOANNI CASIMI-RO anno 1649. fidelitatē præstitisset, & deinde post festivos nocte exhibitos ignes Minister triclini Mareschalci Kazanovii ad hospitium remearet, à globo satellitum intercipitur, ac in prædam rapitur. A naturâ implicito linguæ vinculo erat, nec immeritum casum deprecari, vel cujusnam esset effari, aut suppetiatum conclamare mutus potuit, qui dum discingitur vestibus, & hæ argento facto variegatæ erant, latrones amplexatus, gypso ad manum apponit spoliantibus notas, designatq; autores prædæ nonnisi

nisi in crastinum valituræ: Sequens dies prodidit asteriscis notatos, unde liquidâ probatione res suas mutus in integro restitutas habuit. Adeò nihil est, quod de naturæ malignitate queramur, nam si in aliquo requisito detrahit, extraordinariâ qualitate compensat. *vid. Kochowski, in Climact: 1. Annal: Pol: p. 100. & 101.*

Obseruatione dignissimum, quòd Varsavia Residentia Regis Poloniæ, sit centrum multarum Residentiarum, scilicet Romanæ, Parisiensis, Londinensis, Moscoviticæ, & Constan-

ſtantinopolitanæ. Æquali etiam diſtantiâ, minori tamen ab illa ſunt Vrbes Stockholmia, & Haga Comitis.

Singulari temperamento loci adſcribitur, quòd Kiioviæ Corpora Principum à longo temporis ſpatio incorrupta monſtrantur.

Singularis obtinet in bonis ROGOWIENSIBVS in Diſtrictu Wilkomirienſi pæna contra Kmetonem ſiue ſubditum. Nam captum in retibus urſum ita ſcitè ligare debet, ut poſſit ad ligneum receptaculum portari; ſi verò artem minùs dextrè exercuerit, ut urſus elabatur, apicem arboris tenetur aſcendere, quæ poſtea ſecuri cæditur, & inſeſſorem caſui exponit.

Factâ mentione de urſis; adiungo rem miræ conſiderationis, quæ anno 1661. in Lithvania contigit. Inuenti ſunt in ſylvis Grodnenſibus cum urſis duo pueri, quorum unus, cum in feras fieret inſultus, fugiendo cum urſis ad loca paludinoſa evaſit periculum, alter verò nouem circiter annorum manibus inſequentium ceſſit, at-

atq; Varſaviam adductus Regi IOANNI CASIMIRO oblatus, deinde baptizatus ac Ioſephus dictus eſt. Morem ut quadrupes ingrediendi difficulter exuit, ac emurmur urſino ſenſus ſuos ſemper edidit, quippe linguam Polonicam diſcere non valuit,

Anno 1273. duo notabiles partus in Palatinatu Cracovienſi extiterunt. Natus eſt infans dentatus, qui illo ipſo die, quo in lucem editus, benè locutus eſt, ſed poſt baptiſmum & dentes amiſit, & fari deſiit. Alter infans quartâ poſt nativi-

ta-

tatem ſeptimana locutus eſt, ac Tartaros prædixit, quòd in Polonorum capita deſævient, uti hoc poſt duodecim annos euenit, *teſte Paprocio in Op: Stemm:*

Anno 1269. 20. Ianuarij. In Palatinatu Cracovienſi Margaretha Wirboſlawa Comitis de Naklo uxor, uno partu triginta ſex infantes vivos edidit. *Paprocius ex Dlugoſſo.*

Anno 1580. Menſe Majo Iudæa quædam Cracoviæ uno partu edidit infantulum, ut digitus virilis, glirem nudum

 ma-

magna cum cauda, & quinq; aves, unum quodq; singulatim. Intra duas hebdomadas mortua est. *Id. Paproc: p. 686.*

In Capitaneatu Szorsztinensi nonnullis in agris tam ingeniosa est fertilitas, ut de semine siliginis surgat triticum, & de avena linum.

In Terra Chełmensi est lacus dictus albus, in quo qui lavant in Aprili, & Majo fusci reddũtur. *Tylk: in Physica Curiosa p. 8. & 396.*

In Bełzensi Tractu lacus est

Krinice dictus, qui certis tẽporibus altero vel tertio anno cũ mugitu fluctus attollens ferè ad fundum usq; absorbetur aquis vicini montis cavernas subeuntibus, quæ post dies aliquot tota redit. *Id. ibid.*

In desertis Podoliæ campis propè Borysthenem est lacus, cujus aqua sereno & ardenti sole in solidum concrescit salem, ita ut homines in eo cum jumentis & curribus veluti in crassa agant glacie, sectumq; in frusta euehant suo arbitratu. Quamprimum autem pluerit, soluitur illa salsa glacies

non sine periculo insistentium. *Id. ibid.*

Narvia fluvius angues non tolerat, & si quis aliunde fuerit allatus, cum sibilo fugit aquam. *Id. ibid.*

In Annalibus Conventus Zwerinecensis ad Cracoviam legitur sequens casus: Vir quidam cum uxori insultaret in partu laboranti ejusdem imprecatu ipse complexus est prole, & in latere cæpit velut abscissus spectari, mox augeri motus latentis intus prolis ostendi, non sine malis prægnantiũ, quo-

quocirca Medicorum judicio scissum latus ac puer intus extractus. *Tylkowski in Physica Curiosâ part: 8. p. 556.*

Anno 1315. Tam ferox in Polonia cæpit & per aliquot annos grassata est fames, ut homines se invicẽ devorauerint, & testimonio Długossi, filius in patrem, & pater in filium desævierit. Hanc deinde miseriam dira pestis subsecuta est. *Paproc: in prol. Stemm.*

Anno 1353. Regnante CASIMIRO Magno cum Martius, Aprilis, & Majus ultra medium

um verno ac penè æſtivo calore ad calamos & ariſtas ſegetes perduxiſſet, coorto derepente acri frigore & gelu, nix duos cubitos alta terras operuit, & in ſextum uſq; diem durauit. Et cum omnes jam exiſtimarent ſegetes corruptas, ubertas frugum præter ſpem tanta coorta eſt, quanta vix unquam alias fuit, uti refert *Sarn: in An: p. 324.*

Anno 1414. in Lithvania tam inſolita per Ianuarium ac Februarium auræ tepiditas fuit, ut paſſim herbæ arboreſq; vernis floribus contectæ ſpectarentur *Kojal: p. 49.*

Anno 2551. itidem in Lituania per hyemem ita tepidæ pluviæ increbuerant, ut non aliter, quam ultimo vere ſolet fieri, omne frumenti genus in ſpicas excreverit, quod deinde univerſum intempeſtiuo gelu plane intercidit. *Kojal: part: 2. p. 415.*

Currenti anno menſe Ianuario & Februario ita tepidam etiam hîc Varſaviæ habuimus tempeſtatem, ut murarii operas ſuas exercere potuerint. Sed menſe Martio intenſum frigus ſubſecutum eſt.

Cùm multi dubitent, an detur BASILISCVS, qui ex ovo galli decrepiti excludatur, operæ pretium est, admirandam illam historiam, quæ in Polonia contigit, & à *Sennerto in Epitome naturalis Scientiæ refertur*, integram hîc apponere. Varsaviæ anno 1587. accidit, ut Machæropæi cujusdam filius, viciniq; filia quinquennes ambo cum æqualibus pro ætatis more, cessationis impatientes, exercitatione ludicra tempus fallerent, latebrasq;, in quibus à colludentibus haud facilè invenirentur, quærerent. Fuit haud pro-

procul ab eo loco, in quo ludebant, cella quædam subterranea ob incendium quod ante triginta circiter annos superstructum ædificium absumpserat, desolata, in quam per semiputridos gradus utcunq; repi poterat, in eam cum ambo se dimitterent, in imis gradibus conciderunt, & exspirârunt. Vt cœnæ tempus appropinquauit, matres de suo quæque infante sciscitatæ, nec quis ubi essent sciret, nihil rescire potuêre, itaq; uxor Machæropæi ancillam emisit, quæ diu quæsitos in gradibus cellæ, quos dixi, jacere conspexit,

xit, moxq; exclamauit, ecce ibi jacent! At verò neutro ſe mouente, ſuſpicari cæpit ſomno correptos eſſe, claraq; voce nunc huuc nunc illam nominauit, ſi forte eos expergefacere hac ratione poſſet. Poſtquam verò vel ad raſim clamando nihil ſe proficere, ſed operam ludere animaduertit, ipſa quoq; in cellam deſcendit, cogitans vellicando ſomnum dormientibus, ut opinabatur excutere. Quid fit? protinus & ipſamet juxta infantes concidit, & extinguitur. Ingredientem in profunda cellæ ancillam hera fuerat conſpi-

ſpicata, ut verò eam diutius æquo morari videt

Nec revocare gradū ſuperaſq;
euadere in auras,

attonita ad cellā accurrit, ancillamq; cum infantibus humi proſtratam cernit. Itaq; & ipſa clamorem edit altaq; voce modò infantes, modo ancillā appellat. Qvum verò & hoc incaſſum fieret, neq; jacentiū quiſquam aut reſponderet, aut ſeſe commoueret, exanimatos eſſe colligit. Exemplo fit rumor, cives concurrunt, nec tamen quid facto opus ſit, ſciunt, donec de triſti hoc caſu

ad

ad Consules & Senatum referretur, à quibus mandatum, ut cadauera uncis incendiarijs extraherentur. Ea extracta tympani instar turgebant, labia & linguam tumor obsederat, color erat fuscus, oculi extra suas cavernas ad dimidij ovi gallinacei magnitudinem prominebant. Accessit ad hoc triste spectaculum Consulis rogatu Palatinus N. & senex quidam Archiater Regius Benedictus nomine. Huius conjectura fuit, serpentem veneni præsentissimi in deserta illa cella stabulari, cujus pernicioso halitu àër in ea conclusus inquinetur,

eum

eum autem infirmam hominis naturam perferre non posse. Quamobrē credibile esse hunc infantibus & ancillæ exitum attulisse, fieri etiam posse, ut ibi latibula habeat Basiliscus, quæ naturæ rerum indagatores ovo galli à bufonibus exclusо nasci perhibeant, cuius tanta sit virulentia, ut qui in oculos eius offenderint, subitò moriantur. Interrogatus, qua ratione rei veritas explorari queat, respondit esse aliquem in cellam mittendum, eumq; circumquaq; speculis auersis muniendum. Basiliscum enim si suam ipsius imaginem videat,

at,

at, protinùs emori. Fuêre illic ſub tempus id duo rei, capitis ſupplicio intra triduum affici-endi, quorum alter Polonus, alter Sileſius atq; huic nomen Iohanni Iaurero. His conditio oblata eſt, uter eorum in cellam deſcenderet, ſerpentemq; illum venenatum venaretur & quæreret, ei capitis ſupplicium remitteretur. Cōditionem Ioannes ſtatim accepit. Itaq; toto corpore corio indutus eſt, perſpicilla oculis obligata, quæ viſum tamen haud impedirent, una manus inſtructa ferreo rutabulo, altera face ardenti, deniq; cunctis cor-

corporis partibus ante & retrò ſpecula annexa fuêre. Sic adornatus cellam ingreſſus eſt, ſpectātibus plùs quàm duobus hominum millibus. Poſtquam verò per horæ ſpatium omnes cellæ rimas, omneſq; angulos perquiſiuiſſet, neq; ſerpentem ullum inueniſſet, ut alia nova fax in cellam dejiceretur, poſtulauit. Eſſe enim juxta cellam, in qua erat aliam, ſed adi-tum ruderibus eſſe intercluſum, operam daturum ſe, ut in eam ingreſſum ſibi paret, dum verò id agit, oculos forte ſiniſtrorſum flectit, & diu quæſitam beſtiam gallinæ figurâ in quo-

quodam muri foramine jam exanimatam jacere, ex inopinato conſpicit Quod eum ijs qui foris erant clamore ſignificaſſet, Archiater monuit, ut ferreo rutabulo ſublatam è cellæ tenebris in apertam lucem exportaret, idq; illicò in oculis atq; congregatione magnæ multitudinis hominū factum Archiater beſtiam viſam Baſiliſcum protinùs indicauit. Magnitudo ei mediocris gallinæ, capite ad galli indici figuram acceſſit, criſta coronæ æmula, partim flauo, partim cæruleo colore conſperſa, palearia eodem modo colorata fuêre.

Dor-

dorſum habuit multis maculis eminentibus, oculoſq; bufonum adſimilantibus conſitum interjectis paſſim coloribus virulentorum animalium, ut plurimum autē flavo. Ijdē colores etiam alas extrinſecùs occupauerant. Sub alis totus flavus fuit, nec non ſub ventre; ubi tamen flauo cæruleum & viride & alij miri colores interpoſiti fuêre. Cruribus fuit oblongis, galli cruribus ſimillimis, cydoniorumq; malorum flauedine proximis. Ante & poſt hæc crura utrinq; duo alia prodierunt, bufonum cruribus & breuitate & figurâ re-

ſpon-

ſpondentia. Cauda illi fuit incuruata ac ſurſum reflexa maculiſq; ſuperiùs, quales in dorſo enituiſſe diximus, plena: inferius flaua, in extremo bufoni concolor.

Haud injucundum, credo, erit Lectori, inter SINGVLARIA SINGVLAREM, quæ ſub SIGISMVNDO AVGVSTO nata eſt, & ad vitæ civilis moderamen collimauit, legere hic REMPVBLICAM BABINENSEM. Exhibet eandem *Stanislaus Sarnicius* Hiſtoricus præſtantiſſimus & rariſſimus. *Annal: Pol. lib. 8. p. 395. & ſeqq.*

DESCRIPTIO *REIPVBLICÆ* BABINENSIS

exhilarandi Lectoris gratiâ

PEr idem tempus res faceta, & plena jucunditatis à quibuſdam Nobilibus in terra Lublinenſi excogitata fuit. Inſtituerant iſti ſocietatem quandam; quam Rempub. Babinenſem vocabant: eò quòd loci ejuſdam Babin dicti dominus & poſſeſſor fuit, quo autore potiſſimùm illa Reſpb. ſtabilita florebat. Significat autem vox Baba patria linguâ anum,

& Babineid, quod ad anum pertinet. Iam iocos, lususq́;, aniles nugas vulgò vocare solent. Itaq́; locus ille vetustate neglectus ac penè deletus, prætereuntibus risus materiam non tam sua exilitate, quàm appellatione, sæpe largè subpeditabat. Homines igitur lepido, & amoeno ingenio præditi, occasione arrepta, à loco, & loci possessore Rempub. Babinensem, id est sedem principalem omnium, qui miscentur sermonum facetorum, istā societatem appellârunt. Vt autem hæc societas magis conspicua redderetur, imitati ji,

ex quibus ipsa constabat, ipsius Reipub. Polonæ constituendæ rationem, Regem, & Senatum sibi deligunt; Archiepiscopos, Episcopos, Palatinos, Castellanos, Præfectos oppidorum & militiæ, Cancellarios, & alia id generis munera gerentes ac magistratus sibi designant, & creant. Deferendi autem has dignitates, & munia imponēdi hunc morē tenebant. Quēcunq́; in conviviis, & conventibus celebrioribus obseruassent in aliquo genere dictorum aut factorum, præter modum ac decorum excellere, eum maximè idoneum ad obeunda

munera ei rei consentanea cēsebant. Verbi gratia: multus erat quispiam in sermone de sublimibus rebus, & eius conditioni minimè conuenientibus, hunc aut Archiepiscopum aut aliquem magnum Satrapam faciebant. Si quis vel sermone lapsus, vel aliam ob causam paradoxon aliquod seu perdifficile creditu in medium attulisset; hunc aut Rhetorem, aut Cancellarium Reipub. suæ constituebant. Si quis thrasonicè gloriabatur, quòd fortiter, & audacter se gessisset in aliquo conflictu, aut de rebus bellicis supra modum non suo

loco garriebat; hunc præfectum copiarum aut equitem auratum creabant; literasq; super ea re confingebant, cerâ, & sigillo obsignatas, quas non contemnendis viris sibi tamen similibus deferendas tradebāt: qui assurgentes eas accipiebant, & quâdam cum reuerentiâ ad eum ad quem scriptæ erant, deferebant. Is autem cogebatur officium illud suscipere vel, si illud dedignabatur, ab omnibus risu excipiebatur. Et quò morosiùs se gerebat quis renuendo ac recusando eiusmodi honores, tantò magis ab illis irridebatur, & festiuè au-

licis dicteriis ex composito tam diu exagitabatur, traducebaturq; donec edomitus collum submitteret. Quare ad mores corrigendos, ad sermones cautè miscendos, ad civilitatem modestiamq; in junioribus formandam jocus & urbanitas illa plurimùm pertinebat. Et erant ita nasuti censores vitæ ac morum illi optimi duces huius societatis, ut nullus Physicus affectus humanos, & potentias animæ ita exactè definierit, nullus Ethices Professor de vitiis, & moribus ita explicauerit, nullus Physiognomus ex vultu, gestu, incessu

su & intuitu ita hominum naturam cognouerit, ut illi (sic enim eos hoc loco vocare libet) diuini patres. Et cum aliquis eis nouitius per jocum in societatem offerebatur, tunc veluti deliberaturi, tardiùs eũ recipiebant. Proloquatur, inquiebant, detque primùm specimen aliquod suæ indolis; tũ videbimus ad quod officium erit maximè idoneus. Nam & ad inferiora quædam ea res descendebat. Si quis enim de canibus, de feris, de falconibus, non tempore suo, aut loco paulo fusius verba faciebat, hunc statim aucupem, & vena-

natorem Babinensem faciebāt. Si quis autem de religione supra modum ad mensam disserebat, mox eum concionatorem Babinensem pronunciabant. Si quis ex sententia Romanæ Ecclesiæ, aut cuiuspiam alterius Religionis, supra modum zelo flagrabat, aut etiam acerbiùs eâ de causa in alios uehebatur, mox eum inquisitorem hæreticæ prauitatis Babinensem declarabant. Si quis de equis, & eorum proprietatibus verbosiùs disserebat, si de oeconomicis rebus, admixto præsertim mendaciolo aliquo, ut sit plerumq; inter comes-

sandum, curiosiùs loquebatur, mox eum vel magistrū equitum, vel Regium oeconomum Babinensem, ad exemplum Magni Procuratoris Cracouiensis creabant; assurgentesq; interdum in ipsa mensa honores illos eis deferebant. Vsque adeò autem ista ludicra Resp inualuerat, ut rarus esset in ipso Regni Senatu, in Clero, inter Aulicos inter alios Ordines Regni, cui non aliquid tale aspergeretur. Sic alios Capitaneos; alios copiarum Ductores; alios, Infantes Hispaniarum; alios, Fac totum, alios, turbines Babinenses vocitabant.

bant. Res iſta deniq; ad SIGISMVNDVM AVGVSTVM Regem perlata eſt, de quâ non ſine magnâ delectatione ſæpius multa audiuit. Et cum injecta eſſet mentio aliquorum Procerum, qui inſigniti erant eiuſmodi honoribus, interrogauit, an etiam Regem in eà Republicà haberent. Cui reſpondiſſe fertur ipſe Capitaneus Babinenſis, qui præ aliis ſupra modum vultu, aſpectu ipſo, & ſermone facetus erat: Abſit, inquit, à nobis cogitatio iſta, ut, te viuente, Sereniſſime Rex, & ſuperſtite, de alio Rege eligendo cogitemus,

ali-

aliumue creemus. Tu & hîc, & apud nos Rex eſto. Riſit placidè humaniſſimus & benigniſſimus Rex, nec ullum ſignum indignationis dedit; imò verbis, quæ addidit, riſum omnium auxit. Cæterum, cum aliquando quidam paulò grauiùs de Regno Alexandri Magni, deque Perſarum, Babyloniorum, & Romanorum Monarchia in conſeſſu horum hominum diſſereret, tum quidam ex eis ſermonem excepit. Quid, inquit, antiquitatem jactas, & amplitudinem illarum Monarchiarum. Noſtra Babinenſis antiquior & Græcâ, &

Per-

Perſicâ, & denique omnibus eſt; quia David de ea dixit: Omnis homo mendax, & hoc eſt eius fundamentum atq; eſſentia. Ergo in eà Darius, Alexander Magnus, & totus mundus includitur. Cunctis ſeſe inuicem intuentibus, hic ſermo ab omnibus cum applauſu exceptus eſt: Iactabant autem, ſe habere priuilegia à Regibus, & Imperatore, atque etiam Summo Pontifice, quibus eorum Reſpub. confirmaretur. Iam ſi quis acerbè aliquod verbum in alium torſiſſet, aut mēdacium cum damno alterius, & læſione dixiſſet, hunc nequa-

quaquam idoneum ad capeſſendos honores in ſuâ Repub. judicabant. At qui urbanè abſque damno cuiuſquam aliquid comminiſcebatur, hunc non modò laudabant, ſed etiam officio aliquo cohoneſtabant. Locum porrò Comitiorum ſuorum iocoſo vocabulo GELDAM appellabant, à Gedanenſibus mutuatâ voce, qui popinam ſuam GELDAM vocant. Sed apud nos inconditum garritum multitudinis congerronum ea vox ſignificat. Et erant homines illi, qui duces erant illius ſocietatis, prudentes, & magnæ exiſti-

ſtimationis apud quoſque bonos, & apud ipſum Regem, potiſſimùm Petrus *Caſſovius*, qui *Cancellarius*, *&* *Pſomka* *Fundator Societatis*, qui *Præfectus Babinenſis* vocabatur.

GLORIA illi MAIESTATI, cujus SINGVLARE eſt, quòd

In Trino Simplice, & uno Triplice mirando jure Triuna manet.

INDEX

A

B

C

Ca-

E

Fer-

F

G

H

I

Ejus

K

L

Men-

M

N

O

P

R

Ro-

S

T

V

W

Z

Kid Colon
6 mco